iudex iam corruptus ab ira. Sæpe in magnatibus, vel quia in vindictæ motivum falſum, vel odium (etſi verum) dignitati non decorum; videtur miniſtris inferioribus uti, occultâ calliditate; ut innocentes ſine lege, poteſtate vexentur, ſed illis vexationes non objiciantur: equidem ſi optato voto potiuntur, congratulantur felices: ſin minùs, accuſantur inferiores; qui ſemper impunes, quoniam cauſę ſuſpenſione ſuſpenditur cauſæ crimen, eſtò cognoſcant abruptam iudicis temeritatem. Patet Davidis ſimulatione, Ioabo homicidij duce, atque facinoris complice. Moritur Ioannes & innocens. Triſtatur qui iubet, quoniam innocens moritur? Per adulteram etiam ille inſidiabatur. Habebat in obloquentes fidei datæ velum, & ſimul à ſe removebat hominis magni faſtidium. Nunquàm magis lætus, quàm quùm coràm apparuit contriſtatus. Hoc dicitur politica agendi ratio, ſed ſine iudicio: equidem cùm notetur temeritas, & tot prudentibus diſpliceat iniquitas; qui panniculus tauro agitato, dum eſt ſub ictu (Hiſpanicè *Caparrota*) ut evaquet denigrativum obiectum, cunctis oſtendit ſecretò è Superiore præſcriptum. O tempora! O mores! Ita iudices, iudices?

Ars Superioris in ultionem. — Marc. 6. 26.

10 In throno Domini erant Seraphin iuſtitiæ miniſtri. Modus alarum indicabat: ſex alas uterque habebat. Duabus velabant faciem, duabus velabant pedes, & duabus volabant. Si caput ſuperior, & pedes inferior dicitur; rectum iudicium ſignatur: clareſcit profectò iuſtitiæ nobile ſpecimen, non volare verſus Superiorem, vel inferiorem. Vide acta *Tom.* 3. *Tautol.* 4. *Didaſc.* 3. à *num.* 10. Propheta plorat querulus. An quia vidit tot alis fulgere miniſtros? Quas miniſtri inferiores non frangent leges, fulti alis, protectione ſuperioris iudicis? Decretum erat uri labia Prophetæ, & etiam inſtructione miniſtri, tendentis in uſtionem, ob linguæ valvutientis gravitatem. Tunc volavit unus de Seraphim, in cuius manu erat calculus, *quem forcipe tulerat de altari.* Quomodò in manu habebat, quam prunam de altari forcipe tulerat? An quia in rapacibus miniſtris idem manus & forcipes? Quod horribile monſtrum, paſsim in tribunalibus favore iudicum: igitur ſi manus forcipes, non homines, ſed accipitres. In manu miniſtri habetur, quo Vates uritur. Latebat manu, ardente miniſtro, quod operabatur idem ipſe alienâ manu, id eſt, erat in manu miniſtri, quod tractum forcipe: ſiquidem in Prophetæ uſtionem, forcipem ille habebat prunam tenentem. Cur igitur ſi modò habet, forcipe è foculo ſumpſit? Erat ſuperior miniſter venerabili officio, pro ſubditorum obſequio: intendebat in uſtionem, ſed per ſe deturparet auctoritatem; quoniam ita illuſtre miniſterium in ſubſidium, non in grave cordolium ſubditorum. Inureretur infamiâ, ſi intentio nota. Delenda arte, ut votum valeret ſimulatione: forcipeque utitur, vel abutitur proxima; ut manu alienâ educeretur in uſtionem pruna. Vulgò: *Para abraſar ſe valiò de una tenaza, por ſacar la braſa con la mano agena.*

Iſai. 6. 2. — *Iuſtitiæ nobile ſpecimē.* — Verſ. 6. — *Miniſtri rapaces.* — *Vitio callida Superioris per miniſtros.*

11 Multi ſimulatione, quaſi malæ mentis latêret pectus, lædunt bonos efficaciùs, quàm ſi improbi cognoſcerentur ab omnibus: totumque illorum calliditatis ſtudium, ne ab omnibus cognoſcantur. Nullæ perículoſiores inſidiæ, quàm latentes ſub ſimulatione obſequij. Accidit catulo algenti, dum à ſimia ſtertens attractus igni. Refert Sambucus *Emblem.* 77. ex quo Iacob. Boiſſardus *Emblem.* 28.

Induſtria ſimiæ.

Nuper ſimiola edidit notandum
Exemplum ſimul, & dolum iocoſum;
Nam cum caſtaneas foco ſepultas
Vidiſſet, cinerem inſtitit movere:
Prunas ſed metuens, ſtatim catelli
Stertentis pede ſurripit coacto.
Res eſt digna fide recentiore.
Laus eſt alterius malo cavere:
Sed fraus eſt alij dolo nocere:
Fraudes nectere qui ſolent maligni.

Sambuc.

Exemplum ſanè dignum fidei recentioris, quâ ſpecie iuſtitiæ fraudes: equidem ne muneris devenuſtetur ſpecioſitas, manu alienâ miniſter educit prunas: tuncque magis auctoritas dignitatis violatur, dum uſtus miniſter inferior latrando queritur: igitur hic in utramque aurem dormiret, ni ſuperior excitaſſet. Eduxit forcipe prunam; ſed intentionem ſimulando fecit notam: etenim pòſt inventa in manu miniſtri, eademipſa, quam forcipe ſubtraxerat ex altari. Claruit intuitus in cruciamen, quandoquidem prunâ eductâ excuſsit forcipem: & manu propriâ fecit, dum ſecurè urere potuit. Volavit è throno: urgedat ultio: ſiquidem nec reſpexit miniſterij auctoritatem, ut volaret in uſtionem. Faciem habebat velatam, educens forcipe prunam: & fota eſt audacia pectoris, quippe velata erat facies. Iam ergo in manu calculus, qui forcipe facie velatâ è foculo ductus. Comprehenſus in plagio, dum volavit è throno: & cùm celare nequiſſet, quod ſimulatione latuit; quippe iam agnitus tetendit in uſtionem, fronte in frontem, facie ad faciem. Hanc in folio faſtigosè operit: dum urit, oſtendit. Aberrat

Inferior miniſter dormiret, ni Superior excitaret. — *Furor Superioris in ultionem tendentis.*

à rationis ſcopo, quem pungit ultio: quæ quidem, cùm dedecus poſsidentis cacumen; dedecore atque propudio debuit operire faciem. Averſari congruebat, quod forceps tulerat: verùm in ultionem nil circumſpiſcitur, modò urat, quanvis uratur. Sibi ut conſulat, non conſulit: & ſanè conſuleret, fovens Superioris famam, modò ut forcipem proiecit, etiam proijceret prunam.

Furor Superioris in ultionem tendētis.

12 In lite duarum mulierum claruit Salomonis ſapientia; igitur difficilis cauſa, maximè quia ſine teſtibus, in cuius expeditionem ambæ diuturnè fatigarent miniſtros. Brevì abſolvit, quod miniſtris multum negotium faceſſeret. *Afferte mihi gladium*, ait. Non habet proprium? Utique, ſed pro iuvamine. Coràm erat innocens, fletibus loquens: ſummèque Regi indecorum, in innocentem proprium educere gladium. *Afferte mihi*; dixit miniſtris. Ille habebat proprium gladium, & etiam miniſtri habebant in miniſterium: cur ergo Salomon tollit gladium miniſtrorum? Ut tollat, & etiam abruptum temeritatis, in prudentiſsimam diremptionem litis. Gladius, ut dixi, *Tautolog.* 9. *Didaſc.* 1. *num.* 11. eſt iuriſdictionis ſymbolum: & Salomon cautè tollit gladium miniſtrorum, difficili lite, & innocente iacente; quoniam ſi miniſtri inferiores iuriſdictionem haberent, innocentem ſecarent, & etiam de medio tollerent. Litis miniſtrorum ſpectabat in iudicium, ad quod quiſque habebat iuriſdictionis gladium: illoque difficili articulo, fit cauſæ ad Principem advocatio, tollentem à miniſtris cum gladio iuriſdictionem; ne educerent gladium ex abrupto in innocentem. Vernaculè: *Porque no hagan locuras contra la innocencia, es preciſo à Miniſtros inferiores quitarles luego la eſpada.*

3. Reg. 3. 24 — *Clementia Pricipis.* — *Aliquando iudicum inferiorum ſuſpendenda poteſtas.*

13 Non ſemper indulgendum educere gladium; quoniam quod debet fieri iure, perſequuntur poteſtate: ſumitur audacia, & in iudicium improbitas; quoniam à Superiore defenditur inferioris poteſtas: iudicioque Salomonis gladius tollitur miniſtris; quoniam ſatius miniſtros eſſe ſuſpenſâ iuriſdictione, quàm digladiari inconſultò furente temeritate. Hiſpanicè: *Eſtà mejor la ſuſpenſion del poder del oficio, que llorar un Atentado.* Sine ſanguine nunquàm gladium evaginant; quippe poteſtatem non cogitant, ni deſipiant. Idem in illis temeritas & auctoritas: delirijs ſtat iuriſdictionis maieſtas: & ſurripitur gladius à Salomone, ne abutantur tradito gladio miniſtri; igitur petijt ut educeret, & nequaquàm ut ſauciaret. Diviſi erant gladij. Inſignia poteſtatis, in Principe & in miniſtris: tollitque ille illorum gladium in iudicium integerrimum; quoniam ſi cauſa obiecta in infantem innocentem, tota poteſtas devolubilis ad Principem. Nemo audeat, quæ ius uſquequaquè vetat. Superioris prudentiſsimâ iuſtitia, inferiorum reprimetur audacia: igitur quoties inferior eduxerit gladium ultra repagula legum; Superior iuriſdictionem ſuſpendet, & gladium furentis tollet. Denique. Salomon iuſtitia ducitur, & lis facilè abſolvitur. Educitur à rege miniſtrorum gladius, at ſine ſanguine rutilus; ut conſulant legi & famæ, qui ultores ſedent in maieſtate throni: igitur Superiori turpe, ſubditis abominabile, in cogitatum vafritiæ iudicij malum, abuti gladio inferiorum miniſtrorum. Non gladius Salomonis in miniſtris: miniſtrorum gladius eſt in manu Salomonis. Hic eſt ordo iuſtitiæ atque regiminis recti: quandoquidem totum regimen labitur in præcipitium; quoties Principis gladius eſt in manu miniſtrorum. Sed hoc latiùs aliàs. Dicam modò ex Virgil. 10. *Æneid.* verſ. 13. *Exitium magnum*:

Quare? — *Iudex fatuus.* — *Famam dedecorat ultio.* — *Malum iuriſdictio Principis in manu inferioris.*

Tum certare odijs, tum res rapuiſſe licebit. Virgil.

DIDASCALIA III.

Vulnus quod modo corrigitur, corrumpitur ſine modo.

1 CORrectio utcunque difficilis, quippe acerba, quantunvis lenis. Medicus non iraſcitur, cùm medetur: & nihilominùs quoniam dolet vulnus, crudelis dicitur manus. Falluntur ægri erroris amantes, etiam cognito beneficio curationis; quando, ut infit Seneca lib. 1. de *Ira*, cap. 5. *Nec ulla dura videtur curatio, cuius ſalutaris effectus eſt.* Non immittit dolorem, ex quo dolor in ſalutem. *Odiſti me & non diligis*, dicitur a Dalila; quia poſſunt eſſe in dilectione odia: equidem odit amantis vehementer pectus, ubi indulgentiâ erroris fovetur vulnus. Diligit, qui errorem etiam dolore coercet. Quod patienti videtur horror, eſt amor; ſi modus curationis adhibetur, etenim odio diligitur: verùm amoris obſequium in pravum vertitur odium, ubi exacerbatur vulnus, quippe recedit à medicina modus.

Senec. — Iudic. 14. 16 — *Indulgentia vulneris odioſa.*

Cauſa nocens cladis, pugnatum eſt arte medendi.
Exitium ſuperavit opem. Ovid.

Ut accinit Ovidius 7. *Metam.* fab. 25. Perpera curatio ſine modo, equidem adhibitum remedium eſt exitium, quoniam imprudenti amore, pugnatur arte medendi.

Ierem. 30. 17.

2 *Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te*, dicit Dominus per Ieremiam. Docet igitur quo modo curanda plaga, ut queat dici medicina; etenim ſi dificit in medico modus, alitur in vulnera vulnus. Hinc ille alius principatum renuebat, quia methodum medici in regimen ignorabat. *Non ſum medicus*, fatetur, & ſimul munere excluditur: ſiquidem vulneribus nulla ſalus; ſi in correctione, qui corripit, non eſt medicus. *Obducam cicatricem tibi, & curabo.* Curatio ſanè videtur, ubi vulnus cicatrice obducitur. Si deficit in curatione modus, nulla ſalus. Ubi tantùm ſanitatis apparentia, altiora ſentiuntur vulnera: unde poſt inductam vulneri cicatricem, Deus oſtendit curationem; ne ſine modo fiat exitium, applicatum ut remedium: quandoquidem nullæ in plagis curationes, ſi corruptæ cicatrices.

Iſai. 3. 7.

Sine modo medicina vulnus.

Ovid.

Vulnus in antiquū redijt malè ſana cicatrix.

Equidem cùm ſana fiat, ſi modum iudex uti pharmacum apponat; ſine cicatrice nequaquàm medicamentum, ſed exarcebatio vulnerum. Aſtipulatur acumini verſio Maluendæ. *Obducam* (ait) *cicatricem tibi: imponam medicinam, medicamentum tibi.* Eſtne medicina, nulla? Poteſt eſſe, & medicamen ſine medicamine. *Curabimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Sine medicina ſanitas nequit eſſe; ſed medicina quit eſſe ſine virtute; quippe pharmaci efficacis nunquàm ullus effectus, modò defecerit medicamini modus. *Medicina medicamentum tibi.* Aliud abſolutè, aliud *tibi*, quia cautio debet eſſe in curatione, & conditio debet conſiderari correpti: reſpectu cuius medicina dicitur medicina, ut curetur cicatricis in modum facta plaga: igitur ſi medicus excluſerit in medicamine modum, non erit medicina medicamentum.

Maluend.

Ierem. 51. 9.

Et nullus in correctionem effectus

Pſalm. 57. 6

3 Correptio in correctionem criminis, debet eſſe *venefici incantantis ſapienter*, ut audiant aſpides. Veneficus iudex, quoniam vel in pœna philtrum debet eſſe amoris, ut correptorum corda trahantur, vel dum crimina plectuntur: igitur ubi amor non agnoſcitur, & ſententia ſine lenitate fulminatur (ſine ſtudio corrigendi, ſed nocendi aviditate) qui ſubditi meritò & lubitò pœnis, acti ludibrio convertuntur in aſpides. *Ecce aſpides ſurdæ* (ait hìc Auguſt.) *non audierunt vocem incantantis, & medicamenti medicati à ſapiente. Quid eſt medicamentum medicatum? Fortè medicamentum confectum dicit medicamentum medicatum. An quærimus ibi aliquid, quomodò iam ſi medicamentum eſt, etiam medicatum ſit? Medicamentum à lege: adventu Domini medicatum eſt medicamentum.* Medicamentum confectum in vulnera criminum, eſt pœna tranſgreſſoribus iuxta tempus & modum. Medicamentum à lege, medicatum ab amore; ut pœna ſit in criminum correctionem, quin correpti reſpuant pharmaci urentis cruciamen: equidem ſi dilectione non medicatur legis iuris medicina; ſine virtute ulla univerſa medicamina. *Concocta medicari, atque movere, non cruda, neque in principijs, modò non turgeant: plurimùm verò non turgent*: ait Hippocrat. lib. 1. *Aphoriſm.* 22. Ægrè ferrent ſcalpellum, quæ incocta refugiunt tactum: fitque levi tumore inſanabile vulnus, quia ſecandi non eſt tempus: equidem quæ pure incocto in ſanitatem tumida languent, ictu importuno præ cruditate turgent. Prudentiæ operà, quæ cruda curanda; non ita non cruda; quoniam ſtultum ferire, quibus exacerbatio movere: igitur, ut inquit pro *Sexto* Cicero: *Quùm ſanæ parti corporis ſcalpellum adhibetur, nequaquàm curatio, ſed carnificina à crudelitate efficitur.* Natura concoquit, ut pus expuat, & ſuperfluitates vomat: unde ſi immaturè zelus imprudens ſcindit; læſa pars, quoniam læſa, tenaciùs mordet: fitque lamentabilis improvidè plaga; quippe importunè incoctorum ſolicita medicina, ſtulto medico, dolore appoſito, quin ſequeretur ſanatio; equidem ictu elicuit ex abrupto cruorem, cùm deberet expellere corruptiſsimam ſaniem. Quanvis medicina efficax, aliquando effectus fugax; quippe exitus ſalutaris à ratione pendet temporis, à modo & ab inſtrumento: quapropter etſi in ſalutem medicamentum, medicamentum nullum; quia non medicamentum medicatum, neceſſarium felicitati ſalutis, ut ægri expellant malignas ſuperfluitates, quæ avelli nequeunt ſine medicina medicata: quandoquidem ſine virtute præſtabilis medicina: modò inſtet curationi manus gravis, modus crudelis, acre inſtrumentum, atque tempus importunum.

Cur ſubditi correpti irati?

Auguſt.

Quid eſt medicina medicata?

Hippocrat.

Quando prudens, vel imprudens correctio.

Cicer.

4 Acu rem tetigit SS. Monachorum Pater glorioſiſsimus Benedictus, *Regul. Sanct.* cap. 2. *In doctrina namque ſua* (infit) *Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſervare, in qua dicit: Argue, obſecra, increpa: id eſt, miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta.* Intelligitur utique blandimen terroribus, terrorque blandiminis, ſeverà obſecratione, ac increpatione dulci, ut medicata exhibeatur medicina: attamen non intelligitur, quorſùm tempora? Optimum, ſi daretur vulneribus, quod temporibus, ut in ſalutem rediret laborans vomica pectus. S. Pater uti medicus inſignis in ſanitatem promptam conſulit ægris: unde pro medicina applicare iubet tempora; quoniam tempus opportunum ſanequàm vulneri præſtantius medicamentum. Non ſolùm inquirendum tempus pro virtute medicaminis; ſed explorandum à medico tempus temporis: temporaque decernit temporibus, pro pharmacis applicandis vulneribus; quippe ut ſanetur ulcus, aptior medicina tempus. Novit ſapiens archiater, non omnia ab omnibus, nec ubique, nec ſemper fieri poſſe, & iudicia humana labi; maximè ſi incoctis inferuntur vulnera, dum congruit adhiberi malagmatis cataplaſma: ægerque manet vulneratus, nec correptione in ſalutem reſtitutus, refugiens vel maturo tempore medicinam; quippequàm ſolummodò vulnera accepit in plagam. Humore crudo, & caſſa cura & curatio. Propitiora utique ulcera, quàm prava medicamenta: igitur cùm corrumpantur, ſi immatura corriguntur; quicquid in ægri cogitatur ſanitatem, tendit in eius perniciem: malèque audit imprudentia medici, morte illatà pro valetudine ægroti.

S.Benedict.

Tempus opportunū eſt aptius medicatum.

Ovid.

Iudicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum
Quærere: quæſito tempore tutus erit.

Modulatur Naſo, 1. *Triſt.* Eleg. 1. v. 37. Erit tutus, ſi ad ſententiam pro conſilio vocat tempus: etenim ſi tempus curationi non aptum, medicus iudex ſanum non habet iudicium.

Cantic. 2. 12

Bernard.

5 *Flores apparuerunt in terra noſtra* (id eſt, *in terra carnis*, ait Bernardus) *tempus putationis advenit. Vitioſa ſine dubio atque ſuperflua* (infit *Serm.* 58.) *& omne quod offendiculum dare, & impedire fructum ſalutis poſsit; putare iam & reſecare monebat, ſciens quia tempus putationis advenerit.* Qui videntur in corpore carnis flores, animæ ſunt deficientis ægritudines: medicuſque ſcit tempus in putationem; quoniam vulnus duntaxàt, ſi non eſt tempus. Sine putatione non ſanarentur ulcera, etſi prompta medicamina: medicuſque expectat, quantunvis tuber appareat, quouſque tempus putationis adveniat; equidem reſecando, tantùm propendebit in plagam, ni tempus ipſum humori adhibuerit medicinam.

Sine tempore ex medicina non ſalus.

Ovid.

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Idem qui dudùm Vates ſuccinit 3. de *Pont.* Eleg. 7. v. 25. *Non dicimus* (ait N. Patriarcha, quò ſupr. *cap.* 64.) *ut permittat nutriri vitia; ſed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire.* Ni prudenter, vitia non putantur, ſed nutriuntur. Quapropter cùm ſalutaris dependeat medicina à tempore & à prudentia; in collationem ſalutis, tempus debet obſervari putationis: igitur ni tempus (aptior medicina) congruum, vulnera maiora fiunt. Maturandum, prout cuique expedit, quippe incoctum retinetur, quanvis pungit: tuncque prudenter ſecat archiatrus, ubi putationis tempus; igitur ni opportuno tempore, prudentiùs, non tetigiſſe. Si pungit tactus, quid vulnus? Si verba, quid ſciſſura? Crudele correptionis opus, dum abeſt tempus: tuncque medicus, non medicus, ſed inſanus: quia novaculam immiſit ut vulneraret, non ut vulnera corrigeret.

S. Benedict.

Et inſanus medicus.

6 Irruit Petrus in audacem impudentem militem, Magiſtri cogitans deturpatum honorem, educenſque gladium, *percuſsit pontificis ſervum, & abſcidit auriculam eius dexteram.* Tunc Dominus, cùm ferveret Petrus, illi dixit: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Quorſùm gladius, dum ſubditus eſt furioſus? Non eſt tempus. Cuncta incocta & cruda: modò educere gladium non eſt prudentia: equidem non congruit irritare, quod impoſsibile corrigi. Amputavit Petrus miniſtri auriculam: tempus ſanè putationis non erat. Hinc recondendus gladius, quoaduſque adveniret tempus, quo quieſceret ira, fieretque in correptionem illata plaga: equidem ſi tempore prodeſt, quia vulnere ſanat; & nocet altiùs, quia importunè vulnerat; gladius in vagina, non in manu, ut ſupplicium inferatur tempore congruo: quippe ſi fit immaturè, hoc non eſt tempus auriculas amputandi. Gladium diſcipulis conceſserat Dominus: *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Gladius habendus, & non habendus. Nunquàm habendus; quia nunquàm Superiori poteſtas, ut ſubditorum poſsit amputare auriculas. Habendus, ut conſtet legis & muneris honor, ac ſubditorum compeſcatur furor: ſed opportunè; aliàs melius non habere: equidem corripiendo vel ſcelera non corriget, qui educit gladium, quoniam gladium habet. Fuse alia diximus *Tautolog.* 9. *D.* 1. à *n.* 7. & hìc *D.* 1. à *n.* 11. Prodeſt pœna iuſtitià illatà; & ſi tempore prudens,

Ioan. 18. 10

Verſ. 11.

Non congruit irritare, quod impoſsibile corrigi.

Luc. 22. 36.

Ovid.

Horaque conveniens.

7 Aliquando etiam medici fruſtratur intuitus, ſi cunctos ægroti humores iudicat pravos; & exercetur poteſtatis culter, quaſi in cadaver. Diſcrimen inter medicum & medici larvâ furioſum, deſcribit Gregorius Magn. lib. 9. in *Iob*, cap. 1. *Perverſæ mentes* (inquit) *ſi ſemel ad ſtudium contrarietatis eruperint; ſive pravum, ſive rectum quid à contradicentibus audiant, adverſis hoc reſponſionibus impugnant: quia cùm perſona per contrarietatem diſplicet; nec recta, quæ protulerit, placent. At contrà bonorum corda, quibus in odium non venit perſona, ſed culpa; ſic perverſa dijudicant, ut quæ recta dicuntur, aſſumant. Diſcernentibus quippe contradicentium ſenſibus, æquiſſimi arbitri reſident: & ſic malè prolata reſpuunt; ut tamen approbent quæ ex veritate cognoſcunt. Solet namque inter ſpinarum multitudinem, etiam de frugis ſemine ſpica ſuccerſcere. Cauta ergo manu operantis agendum eſt; ut dum ſpina tollitur, ſpica nutriatur: quatenùs qui ſtudet eradicare quod pungit, noverit ſervare quod reficit.* Ideò paterfamilias, dum apparuerunt zizania, inquirentibus, *Vis imus, & colligimus ea?* reſpondit: *Non.* Si tempus eradicationi non congruum, etiam eradicabitur triticum: evulſioque malorum bonis inferetur ut morbus, quippe extra tempus. Nullo modò eſt infirmæ medicina, quâ læditur pars illæſa. Evellere oportet, ubi maturum, quod evellendum: tunc ipſi correpto gratum: igitur quanvis protunc ſentiat ictum; cognoſcit pòſt per cruciamen, medicum expuliſſe infirmitatem & mortem.

Deſcrimen malæ, & bonæ mentis in iudicio.

Greg.Mag.

Matth. 13. 29.

Non eſt medicina, inficere bona.

8 Quàm iracundus proſecutus eſt Labanus Iacob fugientem! Ira perculit in vindictam honoris deſpecti ultricem; potiſsimùm cùm ſcuta domus defeciſſent ſimulachra; quippe Rachel nemine conſcio furata fuerat idola. Ita queſtus, quia intimè punctus: *Cur furatus es Deos meos?* Citò quievit, qui dudùm excanduit: igitur ut legit Hebr. *Rachel rapuerat cor Labani.* En hiſtoria, ex qua utilis tropologica doctrina. Intuitus Rachelis iuxta Theodoretum, & Gregor. Nazianz. Orat. 2. in *Paſchat.* fuit patri removere occaſionem idololatriæ erroremque ſuperſtitionis penitùs fundere: & hoc eſt furari cor Labani? Furari cor, eſt tàm apud ſacros, quàm apud Profanos ſignum acceptionis furantis, & dilectionis; dicunturque dulcia furta, quoniam vel invitè grata. 2. Reg. 15. 6. ubi: *Abſolom ſolicitabat corda filiorum Iſraël*: Hebr. *Furabatur corda virorum Iſraël.* Prov. 7. 10. *Præparata ad capiendas animas.* Græc. *Ad furtum cordium.* Apud Ethnicos magna ſeges. Propert. *lib.* 2. *Eleg.* 1. v. 55. & *Eleg.* 32. v. 17.

Geneſ. 31. 19. 30. Hebr.

Furari pro mulcere.

Propert.

Una meos quoniam prædata eſt fœmina ſenſus:

Ovid.

Falleris, iſta tui furtum via monſtrat amoris.

Ovidius 1. *Amor.* Eleg. 3. v. 1. *Me nuper prædata, aut amet, aut faciat cur ego ſemper amem.* Horat. 4. *Od.* 3. *Qui me ſurripuerat mihi.* Denique Tibull. lib. 3. *Eleg.* 4. *Senſus deperditus omnes.* Patet iam cor furari, pro mulcere, ſive affectus conciliare. Si Labanus ob idolorum ſubſtractionem irritatur, dolore affligitur; quomodò ipſo dolore mulcetur? Quo pacto modò gaudium, quod pridem acre cordolium? Ex induſtria & prudentia corripientis, qui cor priùs ſolicitat rapere, ut poſsint errantes ab errore reſipiſcere. Idola hominis ſunt vitia, cupiditatis lubidines, in altari collocata cordis, queis ducitur & ſeducitur, maximè dum veneratur. Furatur huiuſmodi idola, quiſquis corripit errata: & qui pridem ægrè furtum tulit, modò vel fraudatus quieſcit; quippequàm in ſe reverſus cognoſcit ablatum cordis idolum, atque ſimul cordis damnum. Nocet idolum cordis, etſi deauratum mulcimine voluptatis, introducentis furtim doloris acerbitatem, qua lactatur inſanus in malum, neſciens latere periculum. Dolore dolor à medico expellendus, ut valeat animus: & gratus, qui correptus, diſciplinæ reſpondet: igitur cum erroris dolore maiorem abſtulit.

Horat.

Ex damnis ablatis damni cognoſcimus.

9 Idola dolores vocantur in Scriptura ut vidimus *Tom.* 2. *T.* 12. *D.* 2. *n.* 7. Gaudet adorans, dum fovet: aſpidem fovere non ſentit, quouſque medicus oſtendit venena: illeque gratus libenter vel ſecantis accipit furta; quoniam corrigens non abſtulit voluptatis imaginem, ſed ex imagine cultâ acerbiſsimum dolorem. Ars corripientis medici ſtat in cognitione latentis morbi, ut exponat ægroto, caveatque læſus à periculo tanto. Tunc rapit cor, quia idolum, voluptatis morbus, clàm: grateſque refert æger, quantunvis reſecando mordeat archiater, quippe in mortis perniciem videt venenum, quod adorabat fatuus cordis idolum. Denique. Rachel inter tot pretioſa domus opulentæ, tantùm furata idola patris ſui. Non aliter debet ſe gerere, qui corripere ſolicitat, ut dolores ſimul & ſcelera corrigat: igitur minimè debet tollere in correpto bonum, quod habet; ſed malum quo ſibi nocet: unde cùm intuitus corripientis conſtet ex proceſſu non malignitatis, ſed amoris; cor-

Cur idola dolores.

Prudentia corripientis.

rigitur exceſſus, & dolens gaudet ægrotus: igitur videt inter reliquarum actionum pretioſa, tantùm auferri in idolis ſimulachra virulenta. Si reliqua etiam auferret, mala non auferret, quippe dolens non in mala ſed in bona reſpiceret: filia, idolis tantùm ſublatis, patrem errantem corripuit, & cor rapuit: ſiquidem ictus cognovit, in quibus periculis eſſet, ni filia prudens idola patris rapuiſſet. Sic vigil de cœlo in reſipiſcentiam Nabuchi, radicis firmitate, ſuperflua reſecat, ramos amputat, folia excutit, ſpuria vitulamina proſcindit; ut volucres cupiditates fugiant, quæ ſub tanto luxu atque faſtu latitabant.

Daniel 4. 11

10 *Indignatio eius effuſa eſt ut ignis, & petræ ſciſſæ ſunt ab eo*, inquit Nahum de correctore Domino. Correctio mirifica, qua ſcinduntur in pœnitentiam ſcelerum corda ſaxea. Unde huiuſmodi doloris effectus, cùm ſæpe correctus disrumpatur iracundus? *Solicitus* (inquit S. Benedictus P. cap. 27.) *circa delinquentes fratres, ut ſapiens medicus.* Ecce furoris corrigentis antidotum, ut correpti excutiant ſtatim morbum: etenim Præſes medicus nanciſcetur correptionem, ſi delinquentem cogitaverit fratrem. Etiam dicitur cap. *Odio*, diſtinct. 86. *Odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi: & quod in peccatis ſeveriùs caſtigari neceſſe eſt; non ſævientis plectatur animo, ſed medentis.* Præſtat cognitio corrigentis intuitus, ut reſipiſcat ſubditorum animus: equidem libenter accipiunt pœnam, qui renuerunt accipere diſciplinam; modò cognoverint ægritudinum medelam. Plerique (ait Seneca lib. 2. de *Ira*, cap. 36.) in maxima ira *iraſci ſe negant, non minùs, quàm inſanire furioſi.* Eſt affectata ignorantia, ut conſtet lege & ratione formata carnificina: quandoquidem furioſi magis, quùm negarint furentes. *In ipſa autem correctione* (ſubdit Benedict. cap. 64.) *prudenter* qui medicus *agat, & nequid nimis: ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas*: igitur ſi quid nimis, non medentis, ſed furoris; cùm lædatur integrum, nec ſeparaǝetur corruptum, fruſtratâ correctione furentis auſteritate: equidem cùm munus prudentiæ ſit conſervare bona, & eradicare mala; minimè prudenter plectent, ſi non remota quæ nocent.

Nahum. 1. 6

Quæ bona correptio?

S. Benedict.

Decret.

Quæ mala?

Senec.

S. Benedict.

11 Ergo in teſtimonium Nahum. Dei adinſtar ignis effuſa eſt ira, ut ſaxea frangantur peccatorum corda. Quo intuitu dicuntur ſaxa homines, & ira Dei inſtar ignis? Ubi aurum non purgatum, latet intra rimulas ſaxorum: quippe venæ auri intra viſcera terræ. Separandum utique pretioſum à vili, ut homines transferantur in patriam, quoniam nihil coinquinatum intrat in gloriam. Correptio Dei, ni homines duri ut lapides, ſuſpenderetur; quippe quod perfectum, non corrigitur. Aliqua bona latent in homine, verùm imperfectiones, atque ſuperfluitates, uti exceſſus corrigendæ: & ubi homines deſignantur aurea gleba, adinſtar ignis Domini exponitur ira; ut ex ſymbolo diſcant corripientes Prælati, quomodò ſeſe gerent in correctione: igitur minimè immittit indignationis flammam, niſi ut excutiat ſcoriam. Quorsùm correptionis ignis, ſi non ſunt ſuperfluitates? Uruntur ſaxa, ut mundentur; & magni ex correptione ducantur, quin deſpiciatur pretioſum, ubi removetur terreum: ſiquidem purgans ſe ſignaret amentem, ſi propter terræ portionem, auri purgati negaret pretioſitatem. Malæ mentis eſt ſtudium propter pravum, inficere quicquid rectum; quia odio habetur perſona, & non peccata, homineſque vel in igne correptionis cogitandi ut aurea gleba; quoniam etſi imperfectionum pravitas, eſt perfectionis pretioſitas. Correctio prudens irrigat *torrentem ſpinarum*: aptè, ut induſtria præſidis tollat ſpinas, nec extinguat lachrymas: equidem ſi furor in correctore, ſeveritate præcipiti, quicquid ſanabile per compunctionis lachrymas, convertitur in ſpinas.

Correptio in correctione.

Ioel. 3. 18.

12 Effuſa indignatio ſicut ignis, ut notetur charitas corrigentis: igitur ſi charitate indignatio zeli mota, emolleſcunt etiam ſaxa. *Ignis eſt verbum Dei* (inquit Ambroſius in *Pſalm.* 118.) *bonus ignis, qui calefacere novit, non exurere, niſi ſola peccata. Mundat hic ignis aurum, conſumit errorem. Hoc igne urebatur rubus, & non exurebatur. Urit ergo ſermo Domini, ut corrigat conſcientiam peccatoris, non exurit, ut perdat.* Mundat conſcientiam, dum expungit ſcoriam: igitur qui corrigit, non deſiderat homines conſumi, ſed in bono conſummari; quippequàm maiorem oſtendit pretioſitatem, conſumens cordium errorem. Rubus ſunt homines mucronibus pleni, & *Dominus*, dicitur, *de medio rubi.* Hebr. *In corde rubi.* Si Deus eſt in medio cordis, correctio, eſtò flamma, accepta; quippe flamma exurens quod pungit, & ſervans quod prodeſt: tunc igitur correctiones in utilitatem ſubditorum, quando non omnia damnantur, ſed malum expelli intenditur: unde correptio vel acris in medio cordis admittitur; ſiquidem urebatur igne rubus, verùm non exurebatur. Mundatus eſt Iſaias, eſtò per

Intuitus correptionis.

Ambroſ.

Exod. 3. 2.

Cur adinſtar ignis?

per flammas. Volavit unus de Seraphim Iſai. 6. 6. in munditiem ferens ignem. *In manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Ardebat pruna, ſed *tetigit* tantùm *labia.* Unde Verſ. 7. errorem, ſive defectum correxit, quippe Propheten uſit, ſed non exuſit.

13 Meritò eſt magni habenda correctio, dum amor ſedet in animo; quoniam magnum diſcrimen inter inimicum & hoſtem: his vocibus ſæpe uſi Poetæ Græci. Ex eis Plutarch. in *Themiſtocl.* ſubdit:

Plutarch. *Latonæ meritò inimicus & hoſtis.*

Hoſtis eſt, qui infert moleſtiam: inimicus qui propter moleſtiam infert. Qui hoſtis, diligit, eſtò pungat: qui inimicus, odit, etſi diligere oſtendat. Ille in angore illato red- Prov. 31. 12 dit *bonum & non malum*: hic in amore fu- Amos. 9. 4. cato reddit *malum & non bonum.* Ille ca- Iudic. 16. 19 ſtigando coronat: hic coronando caſtigat. Ille peccatum à ſe expellit, & non abiget: hic, ut Dalila abigit Samſonem & expellit. Ille iratus miſeretur: hic vel in clementia iraſcitur. Ille vel averſum trahit: hic autem etiam amiciſsimum pungit. Ille iudex, hic carnifex: minimèque habet effectum medicina correptionis, ſi iudex furiosè obierit munus carnificis. Perficit iratus etiam quod refugit inimicus: caſſaque fit diſciplinæ correctio vel ex iuſtitia, modò ab inimico pœna: etenim inutilis legis integritas, ubi titulo legis affuerit prava voluntas. Ut reſipiſcentia fiat, & etiam correctio per correptionem legis, iudex non ſit inimicus, ſed hoſtis: etenim cùm hic amorem in pectore ſervet, etſi ob commiſſa delinquentes gravet; homo ſervatur, & expellitur error, quippe cogitat iudicem amantem, & non amentem. Rom. 9. 12. *Dilectio ſine ſimulatione*, dicitur à Paulo. Sine ſimulatione, ſed diſsimulatione poteſt eſſe dilectio. Sine ſimulatione, quia non charitas ſed dolus, dum affligit inimicus. *Iudex amore corripiens corrigit.* Diſsimulatione perficitur; quippe tanquàm ab hoſte pœna erroris infertur, & errans ſimul corripitur: igitur ſentiens in ſupplicio amorem, & diſsimulantem iudicem, pœnas in correctionem libenter feret; quanvis iudex corpus cruciet. Hiſpan. *Aunque los mate.*

14 E cœlo lapſum conſilium. Vidit Petrus linteum magnum de cœlo ſubmitti in terram; in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli: & Act. 10. 13. facta eſt vox ad eum: *Surge Petre, occide & manduca.* Occide? Utique, ſi venena, careant vitâ. Occidere eſt inſigne inſignis miſericordiæ. *Tollantur è cœtu mortalium facturi peiora, quæ contingunt: & quo uno* Senec. *modo poſſunt, deſinant mali eſſe; ſed hoc ſine odio. Quid enim eſt* (inſit Stoicus 1. de *Ira.* cap. 15.) *cur oderim eum, cui tunc maximè proſum, dum illum ſibi eripio?* Species *Species crudelitatis non occidere ſerpentes.* ſanè crudelitatis, ni occiderentur ſerpentes. A Petro ergo occiduntur, verùm ut vivificentur. Occidantur virulenta, ne ſint venena, nec animalia. Unde redux vita? Ex occiſionis forma. *Occide & manduca.* Non occidit, ut occidat; ſed ut comedat. Quid quòd comederit, ut vivificaret, & ſimul venena truderet? Multum & maximum, in formam correctionis Præſidum. In his omnibus ſignabantur improbi convertendi correctione Petri, ut diximus *Tautolog.* 4. *D.* 2. *n.* 9. Venena in erroribus fovebant, quæ ſine occaſione expelli nequibant: & correptori proponitur manducandum, occidendum; ut conſtet quo modo correptio errorum: igitur ni comederet, nihil referret, quanvis proſcinderet. Priùs occidendum vitale, antequàm deſerviat nutritioni. Quod come- *Malos corripiet, qui ad ſe traxerit.* ditur, à comedente ſuſcipitur: neceſſe à correptore quòd virulentum occidatur, ut venenum ſeparetur: corriguntur que venena, & correptio gravis correptis grata; quippe etiam occiſa Præſes intra viſcera reponit, & ſibi iungit. Vide Gregor. Mag. lib. 18. in *Iob.* cap. 20. Etiam ſerpentes non refugiunt occiſionem: habebant ſeverum, ſed amantem iudicem: venenaque deponunt, dum acerrimè plectuntur; quia Præſes non occidit, ut occidat; ſed ut comedendo, intra ſe ſine veneno cuſtodiat. Hic eſt impulſus rationis vel in homines ſerpentes. Venena eſtò ingenita premunt: in venena tantùm *Et corde foverit, quanvis occiderit* iudicis ſeveritatem cognoſcunt. Hic intuitus eſt amoris, non ſeveritatis iudicis: & cùm efficax ex amore correctio, etſi premat excruciatio; ſubditus pœnas errorum perfert, quanvis Præſes in expulſionem occiderit. Alia dicemus *Tautolog.* ſeq. *D.* 4. *num.* 11. Aliàs ſi in vindictam viderit ob venena tendentem, quæ feſtuca, convertetur in trabem. *Dirum magiſtri, pium patris oſtendat affectum*, inquit Legislator S. Benedict Monachorum, quò ſupr. *cap.* 2. equidem ſi ſubditi ut Manna convertuntur, ad quod vult rationale quiſque Præſidum; obdurantur ardoribus ignis, & exiguo liquantur radio Solis, ſeverá benignitate, charitate ar- Sapient. 16. 27. denti, ut notum omnibus eſſet ad expellendam ſubditorum duritiem, quòd oporteret imitari Solem. Aliter medicamen venenum, quod poterit eſſe alexipharmacum: etenim, ut canit Lucan. 2. *Pharſal.* v. 142.

Dum nimis iam putrida membra recidit,
Exceſſit medicina modum. Lucan.

)✠(

DI-

DIDASCALIA IV.

Laurentij ante victoriam victoria: & flamma ignis ſine flamma.

1 N*Ecdùm natus erat Pericles, & iam Barbaros vel nominis ſui* Plutarch. *umbra terrebat*, ait Plutarch. in *Pericl.* *Laurentius quid quod ingreſſus ſit Martyr?* Aptiùs diceret, modò Laurentium oſtenderet: equidem obſtupuit barbara Gentilitas, ubi refulſit magni nominis veritas.

Tamay. *Si quæras nomen, Laurentius, ante verendum*
Deſignat nomen laurea clara ſuum.

Lauream prævenit nomen ob ſtabilem virtutem: igitur alij ex pugna egrediuntur victores, ſed iſte ingreſſus eſt martyr. Nomen Ieſu iuxta Paulum, *Nomen ſuper omne no-* Philip. 2. 9. *men.* Salvatorem ſignificat, ſpolia ab hoſtibus detrahentem, atque ſuis conferentem libertatem: equidem in cruce triumphavit, atque morte mortem vicit. Sit ergo nomine inſigni poſt tantum triumphum ornatus: *Cur nomen Ieſu inſigne?* cæterùm antequàm ortus? Maius nominis encomium ex triumpho parto ante triumphum: etenim ſi ex cruce laurea; amplior nominis tanti excellentia, ex eo quod triumphi acquiſiviſſet nomen, antequàm victor pate- Ioan. 16. 33 retur crucem. *Ego vici mundum*, dicit. Verùm quando? In tormentorum conflictu. Qua ergo cauſa dicit in cœnaculo? Victoriam in nomine præferebat: & ante victoriam notat; ut gloria tanti nominis comprobaretur exhibitione virtutis: quandoquidem habebat triumphum glorioſum, cùm haberet ante triumphum.

2 Perſecutione commotà in Eccleſiam, Dominus Martyris præfiguravit victoriam, Apoc. 5. 2. *Exivit vincens ut vinceret*, dicit Ioannes. Dicatur fortis, non vincens. Si victoriam. Iam habet, quorſùm in certamen exit? Pro victoria certat, pro laurea pugnat. Minimè vincens, ni haberet: pro quo igitur victor *Victoria Martyris ante conflictum inſignis.* in pugnam exivit? Ut firmaret inauditâ virtute, quod præferebatur nomine. Exigua virtus, ni ovatio ante certaminis tempus. Magna prorſùs, ſi ante triumphum triumphus: eximiaque vel ab hoſtibus notatur; cùm vincens in pugnam ingrederetur: igitur non exivit in conflictum, ut pugnaret, Ibid. ſed ut vinceret. *Data eſt ei corona & exivit vincens, ut vinceret.* Non coronabitur niſi qui legitimè certaverit: & non certatum ante pugnam ſingularitate virtutis, ſpectatâ novâ virtute certaminis: igitur cœlum ſingulariter coronat, quippe iam vincenda vicerat. Data eſt pugnanti corona, quoniam Gentilitas victa. Monſtranda erat inſignis virtus in corde vincentis, & in conflictu certaminis. Hinc victor ut vinceret, & laurea antequàm pugnaret. Corona data tanquàm virtutis inſignia: & cùm conſtet virtus ſingularis ex virtute invincibilis virtutis; habuit laureatus victoriam, antequàm iniret pugnam.

3 Martyr in Eccleſia dicitur qui victor teſtis, cuius teſtimonium præbent virtus & fides. *Invulnerabile eſt* (ait Seneca de *Conſtant. Sapient.* cap. 3.) *non quod non feritur,* Senec. *ſed quod non læditur.* Claret virtus eximia, quæ ſic petita, non læſa. Corona debetur *Nomen Laurentij ſignũ victoriæ.* virtuti, ſine prævio certamine: equidem iam magna, quæ peti poterat, cæterùm lædi nequibat. Terrebat impavidam Gentilitatem Laurentij clariſsimum nomen. Data corona, quia in nomine laurea: vincens non exivit, ut pugnaret, ſed ut vinceret: igitur eximia in & ante certamen martyrij virtus; qua Martyr præ cunctis alijs egreſſus eſt, & ingreſſus. Inſtrumenta martyrij clamant. *In odium religionis prædo fruſtratus* Leo Pap. (inquit Leo Pap. in *Natal. Laurent.*) *laceros artus, & multa verberum ſectione conciſos, ſubiecto præcipit igne torreri: ut per cratem ferream, quæ iam de fervore continuo vim in ſe habebat urendi, converſorum alternà mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior.* Aſtipulatur in *Faſt. Heroic.* Mantuan. ſuccinens:

Martyr ad extremum lecto proſtratus aheno Mantuan.
Uritur, & rapidæ paſcuntur viſcera flammæ.

Quid per craticulam ſignatum in ſacris, adiunctâ virtute vorantis ignis? In *Levit.* 2. 7. dicit Heſychius, quem *lib.* 34. *cap.* 14. ſequi- Heſych. tur Pier. Valerianus. *Mortem & reſurre-* *Craticula eius ſymbolum quare?* *ctionem ſignificare.* Si per mortem pœna, per reſurrectionem deſignatur corporis gloria; Laurentij virtutem & triumphum dicit martyrij inſtrumentum: igitur clarebit ante victoriam victoria; & flamma voracis elementi ſine flamma.

4 *Siquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quoti-* Luc. 9. 23. *diè, & ſequatur me*, allocutus eſt omnibus aſſertor N. Ardua cuncta ad perfectionis ſtudium & obſequium, ſed videtur impoſsibile primum. Qui ſe ſibi abnegat, non eſt ille qui abnegavit ſe. Erit ille & non erit: erit, quia ſupponitur: non erit, quia ſibi ſubtrahitur. Non eſſe eſt mori: mori non convenit vitæ. Unde ſe ſibi abnegare, oſtenditur impoſsibile, quippe non facilè viſus, quòd vivat, qui ſibi mortuus. Quo igitur modo

in

in vita invenietur mors? Facillimè, *ſiquis vult*: igitur volens poterit pati in vita, quin patiatur; quæcunque dira paſſurus, ſi pateretur. Clariùs promam. Sunt ſpiritus ita debiles, ut dolorem ſentiant, ſine cauſa doloris. Sunt alij ita fortes, ut nec ſentiant dolorem, etſi urgeat acre cruciamen. *Nonne fortitudo optabilis? Atqui pericula contemnit & provocat. Pulcherrima pars eius* (inſit Stoicus *Epiſt. 67.*) *maximèque mirabilis illa eſt, non cedere ignibus, obviam ire vulneribus: interdùm tela ne vitare quidem, ſed pectore excipere.* En Laurentij virtus & nobile pectus. Sentit non habere quid ſentiat, dum, ut ſequatur Chriſtum, ſe ſibi abnegat. Erat illi excelſus animus, quando paſſionem impediebat tempus: morſque illi in vita, ſuſpenſo dolore à tempore; quoniam dolor acutior ſine dolore.

Quomodò mors in vita? — Senec. — *Laurentio dolor ex non dolore.*

5 Confertur grano frumenti cadenti in terram, ut fructum plurimum uti mortuum afferat: & retulit modo ſingulari plurimum fructum; igitur priuſquàm caderet, vixerat mortuum. Antequàm caderet, cecidit: iccircò antequàm vinceret, vicit. Vivebat ſibi mortuus, quoniam mors illi non mori. Antequàm caderet, mortuus cecidit: ſiquidem animitùs dolebat, quia non ceciderat. Cecidit, dum tyrannidis tanta tormenta ſuſtinuit: & priùs cecidiſſe dicitur; quippequàm Laurentius paſſus, quæ non patiebatur. *Quò progrederis ſine filio pater? Nunquàm ſacrificium.* (alloquitur Syxtum, ut ait Ambroſ. lib. 1. *Offic.* cap. 41.) *ſine miniſtro offerre conſueveras. Nunquid degenerem me probaſti? Experire.*

Ioan. 12. 24. — *Mors illi non mori.* — Ambroſ.

Mille etenim perijſſe modis per vulnera dulce
eſt:
Dulce per & flammas ſic potuiſſe mori.

Tamay.

Non cedere ignibus, obviam ire vulneribus, tela non vitare, ſed toto ac nudo pectore excipere. An ſolatium, amplius fortitudinis trophæum? Non ſublimior victoria, ex eo quòd illi deberentur maiora pro Chriſti fide certamina; quia non maiora. Extremum fortitudinis dolorem pati, ex abſentia doloris. Tunc pati non potuit; maiora patiens, quippequàm non potuit pati. Omiſſa occaſione paſsionis, aucta vexatio certaminis: igitur acrior paſsio, pro Chriſto omittere pati, ut magis patiens pateretur pro Chriſto. Iccircò ſequens Salvatorem, non tantùm crucem ſuſtulit, ſed *quotidiè* tetulit: ſuſtinuit crucem, ubi adorſus eſt certamen. Maior erat quotidiana crux, dum ſibi abnegavit ſe, volens pati quotidiè, nec potens quotidiè pati: igitur ſi pati ſemel, unica perſecutio, ita aucta, dum fugit perſecutionis occaſio, ut opus eſſet quotidiè robore totius virtutis, quia multæ perſecutiones.

Paſſus quæ non paſſus.

6 *Amen dico vobis* (dixit Dominus aſſeclis) *nemo eſt qui reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem,* &c. *propter me, & propter Evangelium; qui non accipiet centies tantùm nunc in tempore hoc cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Gloria promitur, & pro laborum præmio, etiam perſecutio multiplicatur? Improbi renuunt, quoniam pretioſitatem non cognoſcunt: & nunc in tempore hoc, ubi pœna, ſimul collocatur gloria; quoniam quæ in tempore hoc moventur perſecutiones, ſunt cœli pretioſitates. Alia inveſtiganda. Centies dimiſſa Chriſtus multiplicanda promittit, & hoc tempore; etiam relicto patre, & ſimul perſecutione. Ecce Laurentij articulus. *Centies accipiet cum perſecutionibus.* Perſecutio nè præmium ubi perſecutionis ferendæ adhibetur ſtudium? Cruciamine ampliore muneratur perſecutionis cruciamen? Utique; exprimit tractus perſecutionem derelinquentis virtutem. Qui propter Chriſtum vult pati, patitur, relicta occaſione patiendi. Intendit per vulnera, quòd pateſcat cordis flamma; etenim inſignia fidei, pro dilecto poſſe pati. Quæritur perſecutio, verùm amans defraudatur deſiderio: ex fraude patitur pectus: meritòque dicitur centies cum perſecutionibus; quia amiſſa patiendi occaſione patitur, quaſi centies pateretur.

Marc. 10. 29. 30. — *Perſecutiones ſunt cœli pretioſitates.* — *Quæ patitur amans non patiens?*

7 Ulteriùs. Imminet glorioſa mors; morique definit *propter me.* Evangelium impellit in victoriam vulnerum, fugiuntque vulnera *propter Evangelium.* In maiora certamina ſervatur virtus repreſſa. Dolor gravis in dolorum amante, quando nullus infertur, perſecutione fervente; quoniam ubi minus plus: à Chriſtoque dicitur (dum occaſio pati labitur) quòd centumplicata mors; quia ut pro me magis patiatur, non patitur propter me. Prætereà. Hydropicus pœnarum ob flagrantem charitatis ardorem, ſanguine vulnerum cupit extinguere ſitim, ex fluentis perſecutionis inundantis, pro lenocinio virtutis. Auget profectò pœnam, auferri hydropico aquam: etenim ſi mortem ſemel pati duntaxàt dolor unus; accipit modò centies cum perſecutionibus: igitur non patienti, & intendenti pati, centum perſecutiones; quoniam perſecutionem unam patitur centies. Inſuper. Ubi amor in corde ſedet, ſolicitatur occaſio, ut per conſtantiam ignis noteſcat dilectio. Habetur, cæterùm fruſtratur voto. Tunc ſine

Quomodò multa & magna, ſi nulla?

paſsione affligitur: tunc centies amor cruciatur: etenim inter cruciamen & cruciaminis ſolicitudinem, inter pœnam & carentiæ pœnæ angorem, inter aviditatem lethalis vulneris & fraudem aviditatis, ita violentè patitur, ut perſecutio centies multiplicetur: quandoquidem omittit pati per Chriſtum tormentum, ut tormentum pati poſsit aliâ occaſione & tempore propter Chriſtum. Denique: *Nemo eſt qui reliquerit patrem, qui non accipiet nunc in tempore hoc centies cum perſecutionibus.* Patre patiente, atque filio ſine vulnere, vulnus ex amore creſcit, quia perſecutionem ſine doloribus auget; igitur ex viſis ſpeciebus pœna productior, atque ex productione pœnæ cruciatus vehementior. Ex doloris conſortio procedebat in perſecutione tranquillitas: & ſine conſortio centuplicatur perſecutionis crudelitas, & omiſſa perſecutione, & etiam patre patiente; quippequàm auget centies perſecutionem, non poſſe in perſecutione pati, videndo patrem patientem.

Cur vulnus ex amore maius?

8 Laurentio volenti mori nullo modo debatur occidi. Occaſionem habebat in morte patris Pontificis; ſed reliquit pro certamine certamen perſecutionis. Sequi vult, verùm ſibi abnegat ſe; quoniam dum procedit in perſecutionem virtus, illâ protunc declinante, franguntur virtutis greſſus. En principium doloris & centuplicis: igitur non nactus propter Chriſtum pati tormentum, ut maiora pateretur propter Chriſtum. Ratio prompta: pœna centuplicatur perſecutione relictâ: etenim ſi pati tunc unica à tyrannide pœna; non pati & velle pati plura martyria. Ardet ſine adverſario virtus: vulneratur ſine vulnere pectus, conſideratâ conſtantiâ patris, & fugâ perſecutionis: etenim cùm centies cruciet, ſi cupiens ſemel omiſerit; centies amor vidit tortum, antequàm ſemel inveniſſet tormentum. Signum mutuò ſibi dederant in perſecutione Davidis, ipſe & Ionathas; cùm hic mitteret ſagittas. *Si dixero* (ait) *ecce ſagittæ intra te ::: pax tibi. Si autem locutus fuero: Ecce ſagittæ ultra te, vade.* Signum aptum amantibus & amoribus: igitur cunctis obſequium, miſsis ſagittis oſtentatio vulnerum. Cur ergo ſi ſagittæ intrà, erit pax; & ſi ſagittæ ultrà, erit mors? Mors ſanè ſequitur vulnera ſagittarum: pax ac requies ex abſentia vulnerum: quo ergo intuitu requies dolore perſecutionis, & ſaucium pectus, ubi nullum vulnus? Signa ſunt amantium, per ſigna dolorum. Sagittæ in perſecutione feriunt, ni feriant: ni vulnerent, amantes vehementiùs vulnerant: dicitque Ionathas pacem ſagittam perſecutionis inhærentem, doloremque ſagittam tranſeuntem; quoniam ſi intra pectus amantis, vulnera grata; & acriora cupienti, ni fuerint vulnera. Intrà cor gaudet, quia dolet. Ut magis gaudeat, in dolorem anhelat. Exultat quaſi habens ex perſecutione votum; cæterùm ſagittæ tranſeunt: centuplicaturque pœna; quippe tela venientia iam videt ultrà.

Laurentius vulneratur ſine vulnere centuplici morte. — 1. Reg. 20. — *Vulnera amantium ſigna.*

9 Ultrà Laurentio ex perſecutione dolor eſt: hinc arctè affligitur cor: etenim maior perſecutio cordi, poſſe tormenta pati, & illa pati non poſſe. Erat dolor intrà, tanquàm ſagitta, & dolor ultrà: quoniam ultrà, magis intrà. Dolor pectoris foris: dolor qui foris, in ſacrario pectoris. Foris, quia videbat pati magiſtrum: intùs, quia ſimul non patiebatur tormentum. Huic ſimul inhiabat: centieſque peribat; quia pœna præſenti perſecutione fugiebat: igitur centupliciter grave, centies mori, qui ſemel nequibat morte multiformi occidi. Ratio ſuppetit. Si pateretur à tyranno mortem, pateretur corpus: in perſecutione non patiens patiebatur animus: de acrioreque cruciamine caro dolet, ubi in animo dolor altiſsimè ſedet. Tormentum à furore tyranni mortificat carnem: à non dolore, mortificat mentem: equidem dum ille tantùm carni aggerit pœnam; dolor ex non dolore pervenit uſque in animam.

Laurentij opus Martyrij poſſe pati & pati non poſſe.

10 *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, dixit Virgini Simeon, quando Chriſtus paſſurus, ut ſæpe vidimus. In anima nequit eſſe gladij vulnus: qua animam arte pertranſibit gladius? Exprimere intendit acris doloris vehementiam; & ſubiectum dicit animam, in qua vulneris ictus, & nullum vulnus: igitur ſumma doloris, qui excedit dolorem carnis.

Luc. 2. 35.

Tuque eris ipſa ſui gladio transfixa doloris:
Ut lateant imo nullæ ſub pectore mentes,
Inveniant tutas alto nec corde latebras.

Souſ.

Videbat Virgo pati Pontificem Summum; ſed nequibat potens pati cum Pontifice tormentum: & non poſſe pati, videndo Pontificis pœnam, gladius acutus, qui percuſſit animam. Patiebatur martyrium Summus Pontifex in altari crucis. Virgo cruciatus conſiderabat paſsionis. Cogitabat cruciamen; ſed non patiebatur (quod optabat) crucem. In cruce non erat anxia, ſed *iuxta*: crucemque corde ſuſtinuit, quam carne non pertulit, dolore ſummo, Chriſto in ſtipite fixo; ut conſtaret in anima profundè sediſſe pœnam: equidem gladius doloris percuſsit animam, videndo Chriſtum patientem, quin poſſet ſequi Pontificem. Tota ſolicitu-

Qui gladius animæ Virginis? — Ioann. 19.

do Virginis erat pro conſortio crucis. Dolor invitabat, quem iuxta habebat, ut cordis flamma quieſceret aliquantiſper per vulnera. Sagittabatur intimè, ſed non vulneratâ carne; & magis vulnerabatur, cùm tela dolorum volitantia viderentur, animâ ſauciâ vehementiore pœnâ: quandoquidem ſagittas videbat emiſſas intra Pontificem, & ultrà pati cupientem.

11 In mari magno pœnarum, turbine perſecutionum, erat ſtrenuè Laurentius, in cuius pectore rutilabat virtus. Verùm ex quo facinore, dum ſine vulnere? Optabat; & patiebatur, quia vulnera non habebat. Aſtabat patienti Summo Pontifici; verùm ille ſine vulnere: & ideò ampliore; quia iuxta ſtipitem crucis non patiebatur, quæ portabat Pontifex.

Unde ſine cruce amplior pœna Laurentij?

Sequi cupiebat, quos videbat dolores; & quia ſuſpenſi, Laurentium gravabant magis: equidem aſpiciens vulnera, anima ſaucia, ex eo quòd formet animæ crucem, non pati ac ſequi Pontificem, crucis tormenta patientem. O animi virtus! Non erat in cruce, ſed iuxta crucem. Ampliora cruciamina, quippe iuxta, & procul omnia. Intrà profectò, quia ultrà. Patiebatur animus, quod fugiebat corpus. Unde cùm maior perſecutio, quæ ſedet in animo; habuit animam ſauciam, quippe non habuit,

2. Cor. 11. 23.

ſed vidiſſet pœnam. *In mortibus frequenter*, dicebat Paulus. Quomodò ſi ſtatutum eſt hominibus ſemel mori? Occaſione moriendi fruſtratâ, dum mors obvia: equidem qui præ amore mori intendit; morietur, quoties mors fugerit. Semel caderet Laurentius, ſi caderet ſimul: multotieſque ſine morte cadebat; quia mortem propter non mortem ſubibat. Videbat mori, & nequibat occidi. Coarctabatur è duobus, deſiderium habens diſſolvi, ſed permanebat in carne: centieſque premebatur, quin premeretur; quoniam in mortibus frequenter, non moriebatur. Quantus ex victoria triumphus, cui triumphus ante victoriam! Maius certamen, dum cordis propriam ſuperavit virtutem. Nil mirum, quod victor formidabilis floreret, qui fructum multum tulit, antequàm caderet.

12 Phœnix ardet Laurentius, & quia Phœnix, *feliciter ardet*: uti obſervat Engelgrave in Feſto.

Engelgr.

Feliciter. Quibus flammis? Suis, vel ignis? Feliciter Phœnicis formâ, dum lenocinatur flamma.

Adinſtar Phœnicis.

Uſta laurus reſonat, dictaque Daphne, ex eo quòd loqui & canere eſt, ait Pier. Valerian. *lib.* 50. *cap.* 13. & Lucretius *lib.* 6. de *Rer. nat.* v. 153.

Nec res ulla magis, quàm Phœbi Delphica laurus

Lucret.

Terribili ſonitu flammâ crepitâte crematur.

Canit Laurentius triumphum, patiens incendium: & feliciter adinſtar Phœnicis ardet, hymnos ubi ex flammis concinit.

——— Solem blando clangore ſalutat
Debilior, miſcetque preces, & ſupplice cantu
Præſtatura novas vires incendia poſcit.

Claudian.

Ignis vires non minuit, ſed flammis auget: feliciter Laurentius flagrat, dum inter incendia exultat.

Inter incendia exultat.

Dum cubat ardenti Laurus reſupinus in igne,
Quàm miros uſto fundit ab ore ſonos!

Bargioc.

Modulatur Ioann. Bapt. Bargioccus *lib.* 1. *Epigram.* 19. etenim ſi Phœnix gaudet, ignis uſto Phœnici non nocet. *Torqueor* (ait Seneca *Epiſt.* 67.) *ſed fortiter: Benè eſt. Occidor, ſed fortiter: Benè eſt, & dulce eſt. Uror, ſed invictus. Quidni optabile ſit, non quod urit me ignis, ſed quòd non vincit. Nihil eſt virtute præſtantius, nihil pulchrius.* Laurentio dulce, quod alijs acre: ſed unde?

Senec.

13 Cui philtrum amoris propinatum, vel cardiaco morbo laborantis, *negatur cor cremari poſſe*, inquit Plinius *lib.* 11. *cap.* 37.

Plin.

Summa felicitas, ubi cor hominis cœleſtes conceperit flammas: equidem cum cor incombuſtum reſpuit aliud præter divinum incendium; ex ipſis caſsis flammis probatur philtrum amoris.

Martyribus ignes, amœni flores.

Cant. 2. 5.

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo, dicebat Sponſa. Symmach. & alij, ut vidimus *Tom.* 1. *Tautolog.* 5. *Didaſc.* 16. *num.* 17. legunt: *Stipate me ignibus, quia amore ardeo, atque philtro dilectionis.*

Symmach.

Varia ſanè, ſed cuncta conſona pro Martyrum fortitudine: diciturque in delicias martyrum vallatio florum, & vallatio ignium; quoniam amantibus ignes ſunt amœniſsimi flores. *Phialis vitreis*, Maluend.

Maluend.

Vitrum frangitur; non flectitur. Unde Carduccius apud Picinell. lib. 12. *Mund. Symbol.* cap. 36. num. 330. ſuccinit:

Vitrum non flector, facili ſed corpore frangor.

Carducc.

Claret ſymbolum in fortitudinem Martyrum: equidem etſi toto corpore frangantur; ad tyrannidis propoſita nec igni admoto flectuntur.

Etſi fracti, non flexi.

Quid flecti? Quia frangitur caro? *Os non comminuetis ex eo.* Caro agni fragilis inter ignes: os virtus in fragilitate carnis: & os non comminuitur, dum Martyr prunis exponitur; quoniam licèt agnus totus toſtus, igne non frangitur virtus.

Exod. 12. 46 & Ioan. 19. 36.

Quicquid in cruciamen cogitatur corporum, tranſit feliciter in virtutis refrigerium.

Caro fracta, virtus fixa.

Sed cogita ſymbolum. Agnus poſtquàm occiſus, imponitur igni: nil virtutis reſtat ſenſui: quid quod dum igne occiſus imponitur, os comminuatur vel non comminuatur? Maximum profectò, ut clareſcat Martyrum fortitudo.

Viva quaſi ſine ſenſu.

Quod fit poſt mortem in ſacrificio Agni paſchalis, miramur in Martyribus collocatis inter ignes, quin os frangatur, dum intenſè caro aduritur: igitur in uſto, toſto, vivo perſeverat virtus, quaſi occiſum eſſet corpus. Ludicrum ſane vel inter ignes ſupplicium, dum Martyr ardens quaſi cadaver ad ſenſum. Verùm hoc *Didaſc.* 1. *Tautolog.* ſeq.

14 Modò in votum Sponſæ præ amore nimio medullitùs vulneratæ. Si amoris oſtendit flores, quorſùm ignes? Si amorem habet, ignem habet. Quare vehementiora incendia quærit? Sedet altè in pectore flamma; & flammis ſcire ſolicitat, an altè in pectore ſedeat. Aliud eſt incendium amoris, & aliud philtrum amoris cœleſtis. Philtrum fit, dum ardet amore tota, ita ut cordi nulla ſit ignis ſenſibilis flamma: petitque externos in vulnere amoris ignes, ad probationem cœleſtis amoris; quippequàm cor divino philtro iam gaudet, ſi ignis externus ſenſibiliter non nocet.

Virtute amoris inſenſibilis ignis.

Ubi cor aduritur igne, ignis cœleſtis non eſt. Habet philtrùm, ſi nihil ſenſibile ſentit cor: igniumque expoſcitur applicatio, ut conſtet pectus ardens captum philtro; igitur philtrum amoris, ſi non movet acrimonia ſenſum ſenſibilis ignis. Nequit eſſe ignis ſine uſtione, dum proximum combuſtibile; ni cardiaco morbo ſacro cor laboret, vel philtro amoris, ubi dilectus, anhelet; quo igne quodlibet compeſcitur cordis incendium: petitque Sponſa flagrans incendium ignium; ut rutilet quantus & qualis ignis, ex incorruptione incombuſtibilis cordis: etenim non incendium in incendio, etſi conſumatur caro. Ignis non prævalet vel combuſtibili fragili, ubi Dominus in corde. Quid quòd *rubus arderet, & non combureretur*, ſi uti ſolium Deitatis ſtatuitur?

Exod. 3. 2.

Fragilis eſt, verùm incombuſtibile cor: neceſſarium profectò flammam carere voracitate, in flamma ignis apparente Domino de medio rubi. Deum in corde Sponſa habebat, igne cœleſti flagrabat.

Qui refrigerium ignis cordis?

Neceſſaria in halitum reſpiratio, præ incendij ex amore philtro: & cum flammam ardentis cordis, flamma refrigeret ardentis in igne carnis; petit anxiè incendium ignium; ut poſsit ex ignibus accipere refrigerium.

15 *Frigida fit flamma, ardente Laurentio*, ait Maxim. Homil. 2. de *S. Laur.*

Maxim.

Flamma & frigida? Utique: erat flamma ignis, ſed reſpectu flammæ amoris: frigidaque dicitur, ubi caro aduſta totius corporis exponitur; quippequàm ardente corde, flagrante cœlitùs pectore; ignis Laurentius voracitatem, in refrigerium reputabat tanquàm nivem. Venerem finxit ſaucio pectore Antiquitas, excutientem per vulnus voraces flammas. *Ardentem facem pectore ferebat*, ait Chartarius de *Imag. Deor.* fol. 343. ſed in aquis, unde nomen *Aphrodites*.

Vinc. Chart

4. Reg. 2. 11

Eliæ, ut aſcenderet in cœlum, prævenit Deus currum igneum. Cur igitur ſi uterque ardet flammâ, utrique non eadem conferuntur refrigeria?

Et frigida flamma.

Veneris erat ignis profanus, atque ſenſibilis. Eliæ verò ignis, ſed ignis cœleſtis. Illi conceſſa flamma, ut veniret in mundum: huic verò, ut aſcenderet in cœlum. Reſpectu cœleſtis ignis frigida flamma: ad æſtum terreſtris lympha: & cùm refrigerium utriuſque ſolicitaretur incendij; igni cordis Prophetæ datur ignis, dum Venus ardens.

Elegit contraria flumina flammis.

Ovid.

Frigida ſanè flammâ, ubi ex igne non incendia: equidem ignis in Laurentij ſubſidium, dum carbones præſtabant uſtæ carni refrigerium.

Laſſavit ſtupidos hominum Laurentius ignes
Et flammæ in medio turbine ſenſit aquas.

Scalig.

Ait Iul. Cæſar Scaliger in *Elog. Divor.* Elegit ignem in refrigerium ignis, ne ſuffocaretur activitate mirâ cordis flagrantis. *Neceſſe eſt, ut vincatur ignis incendium*, infit Maximus, quò dudùm.

Maxim.

Neceſſe? Quare? *Ardebat ergo Laurentius.* Si Laurentius ardet, eius ignis ignem vincet. Iam igni nullus triumphus, ſi ardet Laurentius: equidem dum tortor auget ad ignem incendia; reſpectu igniti cordis frigida flamma.

Quomodò uſtus, non uritur Laurentius!

16 Spectaculum factus & Angelis & hominibus. Crematur igne ignis, ut momenta conſtent interni viſcera depopulantis amoris.

Urit flamma foris, verùm non fumeus ignis:
Negligit ardores, qui calet intus amor.
Felix cui tantum divini traditur ignis,
Terrenos ignes ut ſuperare queat.

Carol. Morell.

Superavit Laurentius: cæterùm quorſùm intuitus? Cognoſcere cupit, an philtrum amoris biberit: conſtant in corde amoris divini incendia, ubi terreſtris ignis frigida flamma: Laurentiuſque victoriâ lætatur, ubi flammis circumſcribitur; quippe iam habet triumphum, ſi ignis ignis refrigerium.

Philtro amoris nihil ſenſit.

Philtro potitur, dum pro floribus ignibus ſtipatur: igitur philtri effectus præſentaneus, ignem pectoris prævalere ignibus. In medio cordis, quaſi in rubo, Deus erat. Ibi illabitur. Si Deus in medio eius, non commo-

movebitur. An prodigium videmus in conflictu Laurentij contrarium prodigio rubi? Ibi rubus ardebat, & non comburebatur: hic Laurentij caro comburitur, verùm igne non ardet Laurentius. Ubi cor ardet, ardorem vel uſta caro non ſentit. Hiſpanicè: *El prodigio de la zarza abraſarſe, pero no conſumirſe: el prodigio de Lorenzo, conſumirſe, y no abraſarſe.* Lenocinium eſt incendium, dum cæleſte habetur philtrum: igneſque expectat, ut uſto corpore gaudeat; quippequàm per ignem victum probatur, quo amore tam diligit, quam diligitur.

Lenociniam eſt incendiū.

17 *Proba me Domine & tenta me,* dicebat ex perſona Laurentij Pſaltes David, uti obſervat Auguſtin. ſerm. 30. de *Sanct.* Maluend. *Proba me, & eleva me. Ure renes meos, & cor meum.* Probatur ſanè Laurentius igne: quomodò igitur elevabitur uſtione? Quid quòd ut fulgeat robur tantæ virtutis, uſtio renum & cordis? Reſpondet Auguſtinus ibid. *Duplici ſe poſtulat igne comburi.* Non ſat unus ignis? Duplex? Sanè. *Si de ſolo mundi igne loqueretur, ſufficeret Renes: cor autem niſi flamma Chriſti non urit.* Latera torreantur igne mundi: cæterùm cor flammâ cœli. Si iam de cœlo miſſus ignis, quò materialis? Si cor calet, quorsùm ad latera applicatio flammarum? In refrigerium. Flamma materialis eſt frigida, dum urget divina flamma. Æſtum levat reſpectiva frigiditate: poſtulatque Laurentius igne duplici comburi; ut teneat vitam per terrenam flammam: quippe illicò, ſi à tyranno non applicatur, igne divino morietur. Virtus illius longè lateque rutilatura per tormenta loquacia. Tyrannus vivum ſolicitabat tenere, cœlum trahere; quanvis ſibi complacebat de virtute Laurentij: duplexque flamma apponitur, dum viriliter pro fide præliatur; ut ſubſiſtat pancratice & athleticè, in ignibus cœleſti, atque materiali: igitur ni tyrannus applicaſſet flammam, cœleſti flammâ perdidiſſet vitam. Ulteriùs. Laurentius vult exuri, ſed non uri. Exureretur & ureretur, modò præcordia non ureret divina cœleſtis flamma; & ignis illi non nocet, quanvis caro laterum corruptibilis ardet; quippe quem corde cœleſtis fovit, ignem terrenum activitate compreſſit. Pro philtro divini amoris ſatagebat ignis materialis, de cuius nobili triumpho cor fulgebat prorſum poſſeſſum à Deo. Hoc Laurentij votum, ac ex ignibus gaudium; quia ex ignium pugna lucet cœleſtis victoria: & modò cor occupet cœleſtis ignis, rogat, quòd urantur renes; ſiquidem illæſo corde frigiditate flammæ, conſtabat gaudere philtro, quanvis ureretur caro. Duplici poſtulat igne comburi, ut poſſit in probatione elevari. Pugna ignium neceſſaria pro victoria, ut in pectore Laurentij niteret cœleſtis flamma: igitur dum caro à tyranno crudeliſſimè uritur, ignis ab igne cordis quaſi corpus urebatur. Rapuit ignis ignis dominium, appoſiti in refrigerium: etenim cùm igne cœleſti arderent præcordia; frigida tyranni flamma. Non percutit fulmen laurum, ut notant Raviſius Text. in *Officin.* lib.7.cap.17. Sueton. in *Neron.* cap. 69. & Pier. Valerian. ubi ſupr. Si non laurum, quid Laurentium?

Pſalm.25.2. Maluend. Auguſt. *Sine igne tyranni moreretur.* *Ignis ab illius igne uritur.*

18 Fictum à Græcis Cupidinem iaculo viciſſe fulmen. Hinc inter Epigrammata diſtichon;

Perfringunt, penetrant, urunt mea ſpicula fulmen:
Scilicèt hinc nomen eſt mihi Pandamator.

Græc.Epig.

Ita Alciatus *Emblem.* 107. accinit in propoſitum:

Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demõſtrat uti eſt fortior ignis amor.

Alciat.

Ignis uterque, aperto Marte, confecit conflictum, ſed fulmen amiſit triumphum; igitur apparuerunt frigiditas, quas vomebat vibrans flammas. De vehementiore activitate erat pugna. Invincibilis ignis intra præcordia: & dum flamma confertur flammæ, virtus fulminis iacet ſine virtute; quia ignis fulminis è regione aeris, fulmen amoris è regione cordis. Duplici Laurentius poſtulat igne comburi. Fulmen emittebat tyranni furor: fulmen ſagittam è corde Laurentius vibrabat amor: at quid ex eventu certaminis?

Conflictus fulminis & amoris.

Res mira! Crematur
Igne ignis.

Idem.

Quid materialis, ſi amoris igni cedit ignis cœleſtis? Vicit Laurentius, ubi ignibus decertabat tyrannus: iam non mirum, quod exhibetur ut novum: equidem ceſſio neceſſaria materialis flammæ, quando Laurentius uſtus fulmen habebat in corde. Inquiritur paſſim cur Pyrauſtæ vivant in flammis? Vide Plin. *lib.* 11. *cap.* 36. Aliqui aſtruunt propter frigoris intenſionem: mihi placet, propter intenſiorem ignem: unde flamma ardenti avi, volitantique non nocet; quippe intenſiorem ignem habet, quàm recipit. In craticula iacet Laurentius Pyrauſta ſingularis, uſtus & non uſtus inter ignes; uſto latere, ſed illæſo corde: igitur vel in ipſo effectu flammæ, vorantis ignis compeſcuit activitatem; quippe flammam habebat in pectore ſuperiorem. Fovetur ignis cœleſtis, quo mundi frigidus ignis: unde cùm ampliorem ardorem Laurentius uſtus haberet, quàm ab ignibus illatis ingeri à tyranno poſſet; refrigerebantur viſcera, quoniam externa frigidiſſima flamma.

Cur Pyrauſta in flammis degat?

Laurentij emblema.

19 Dolebat furiosè tyrannus, unde exultabat Laurentius. Cuiuſnam victoria? Dicite, & diſcite, quàm maior flagret ſub pectore flamma.

Ille urit tantũque artus, paſcitque medullas:
Hic autem irrepens interiora vorat.

Hortin.

Succinit Roſcius Hortinus in *Triumph. Martyr.* Fab. 18. Priùs decantatum ab Eccleſia apud Tamay.

Sævit ignis exteriùs
Intùs ſævire neſcius,
Nam reſiſtit potentior
Ignis alter interior.

Tamay.

Notum fac mihi Domine finem meum, dicebat Regius Pſaltes. An votum Davidis? *Hominis æſtuantis*, ſubdit Genebrardus hìc. Laurentij votum eſt, cuius in pectore flagrat cor. Quare igitur quæritur vitæ finis inter ardentes carbones? Erat inter duos ignes. Uterque in exterminium, quippe incendium. Ex igne materiali exterminium carnis: ex cœleſti, halitus cordis: inquiritque Laurentius, ex quo igne procedet finis; quoniam ſi privatur ignis materialis refrigerio, igne morietur divino. Propter defectum caloris, vel proportionatæ humiditatis fit compoſiti deſitio: quippe vita conſtat ex horum concordi nexu. Duplicem ignem patiebatur Laurentius: & exitus è vita ex quo igne perſpicuè ambiguus; igitur tyranni igne ſenſibili deficiente, igni cordis deficiebat quod humidum radicale. Sævit ignis exterior, & magis interior ſævit, ſed in ignem exteriorem carnis; quoniam cordis flammæ erat combuſtibilis ignis: notuſque iam finis vitæ, ex cordis æſtuantis activitate; quoniam Laurentius non moritur, quouſque flamma ignis exterioris extinguatur.

Pſalm.58.5. Genebr. *Quare immortalis, quouſque extinctus ignis?*

20 Hinc præmiſerat: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Maluend. *Ardebit ignis: comburetur ignis.* Si ignis, quid mirum, quòd ardeat? Cor ardebat: & non comburit ignis, ubi occurrit flamma cordis. Ardet ignis: quis non ardet? Ignis qui Laurentium urit: etenim per cordis flammam, ignem iniectum combuſſit tanquàm materiam. *Comburetur ignis.* Quonam igne? Flammæ pectoris: ignis vel in igne non eſt calor, dum cordis accedit fervor. Ardebat ignibus corpus: concaluit cor intra pectus. Si cor calet, ignis materialis deficit: exprimiturque cor ignitum, dum exterius conſumitur incendium; igitur Laurentius non poterat uſtus mori, niſi amoris æſtuantis flammâ cœleſti. Felix Martyris incendium,

Verſ.4. Maluend.

Cui prunæ dignam pepererũt nomine Laurũ.

Morell.

Amor tyranni videtur, dum caro patitur; per odiumque diligit, quem igni torquet: igitur per tractus varios cruciaminum, deduxit uſque in Empyrium. Verus obijcitur Hercules, triumphans de flammis. Accinit Seneca in *Æteo*, verſ. 1608.

Eſſe iam flammam nihil
Oſtendit ille, qui ſub occaſu Hercules
Virtute vinci docuit indomita omnia.

Senec.

DIDASCALIA V.

Gertrudis dilectæ cor primas & ſummitas gratiæ Dei.

1 UNde & ubi felicitas humanæ conditionis? Stoicus Cordubenſ. inquirit: & cap. 8. de *Vit. beat.* Gallioni reſpondet: *Rector univerſi Deus in exteriora quidem tendit: ſed tamen in totum undique in ſe redit. Idem noſtra mens faciat, devinciat ſummum bonum.* Quis ergo obtinuit huiuſmodi apicem felicitatis? Electa è millibus dilectiſſima Gertrudis: igitur non ſolùm in cor ſummum bonum attraxit, ſed ſtudiosè devinxit.

Senec.

Hanc cupit, hanc optat, ſolâ ſuſpirat in illa:
Signaque dat nutu, ſolicitatque notas?

Ovid. 1. Faſt.v.417.

Charitas olim pingebatur hoc ſchemate, ait Alapide in 3. *Cant.* verſ.10. *Virgo* (ſcilicèt) *facie roſeà, alis inſtructa, in capite geſtat coronam auream, carbunculis diſtinctam: digitus ornatur annulo pyropis radiante, una manu geſtat cor rubicundum flammas vibrans; alterà arcum & ſagittas ignitas.* Claret in forma, Gertrudis Magnæ excellentia: equidem quæ charitatis, ſunt ornamenta Gertrudis. Virgo Sponſo charior eſt, & charior cunctis; ornatur alis, queis uſque in thronum ſcandit, coronâ gratiarum fulget, annulis chariſmatum coruſcat, corda fidelium ſagittat; quippe in proprio corde oſtendit, quem è throno in pectus Sponſum amore traxit, & vinxit.

Imago Charitatis. Alapid. *Cur Gertrudis?*

Mente Deos adijt: & quæ natura negabat
Uſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Ovid.

Hinc lib. 1. *Inſinuat. Div. piet.* cap. 3. dicitur: *Hanc Sponſus invenit, hanc reſpexit, hancque denique ſibi elegit.* Ne mireris: ipſe Sponſus dicit ibid. *cap.* 4. *Ego totus ſum illius: nempè, cui me tota affectione inter eius amplexus tanquàm captiuum tradidi.*

Caſtann.

Amo-